



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

7. Bella à Deo iussa, & laudati bellatores.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45699**

tè, etiam Christianos, bella gesturos, multæ cum exemplis, ostendunt rationes, quæ partim stant pro bello vniuersim, partim pro bello Christianorum.

Nam in primis factum est prælium magnum in calo: Michaël & Angeli eius præliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & angeli eius. Vicit Michaël cum Angelis suis, & triumphauit. Quis non laudauit Michaëlem cum exercitu suo iustissimè, contra diuini solij iniquissimos inuasores depugnantem? Si bellum ex se aliquod malum esset, etiam in Angelis esset malum: neque Deus id imperare hominibus posset, quem mali aliquid iubere non posse, nemo, qui ei seruit, ignorat: imperauit autem sapius. Locutusq; est Dominus ad Moysen dicens: *Hostes vos sentiant Madianita, & percussite eos, quia & ipsi hostiliter egerunt contra vos.* Item: *Hac dicit Dominus exercituum: Recensui quacumq; fecit Amalec Israël, quo modo resistit ei in via, cum ascenderet de Aegypto. Nunc ergo vade, & percussite Amalec, & demolire vniuersa eius &c.* Ut autem non iuberet Deus bella, si semper mala; ita neque laudaret, si numquam bona essent. Laudat autem & bella & bellatores. Ita enim Abraham reuertenti ex cæde Chodorlahomor & regum, qui cum eo erant, per Melchisedech benedixit: *Benedictus Abram Deo excelsio, qui creauit calum & terram: & benedictus Deus excelsus, quo protegente, hostes in manibus tuis sunt.* Ita ipse Christus illius Centurionis fidem laudauit, ait S. Augustinus, *non militia desertionem imperauit dicens: Ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic, vade, & vadit; & alij, veni huc, & venit &c.* D. quoque Lucas ait: *Vir autem erat Cornelius Centurio cohortis, qua dicitur Italica, religiosus ac timens Deum.* Qui etiam ibidem dicitur ad se vocasse militem metuentem Deum ex his, qui illi parebant &c. Ita D. quoque Paulus ait: *Fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum.* Immo in militia spiritali iubet imitari nos studium bonorum militum in bello seculari: *Labora ut bonus miles Christi IESU.* Quæ omnia in militum & militiae laudem non dicerentur, si militia omnis mala esset.

Luculentus testis accedat Ioan: Baptista. *Interrogabant eum & milites dicentes: Quid faciemus & nos?* Et ait illis: *Neminem conueniat, neq; calumniam faciatis, & contenti estote stipendijs vestris.*

VII.  
Apoc. 12. 7.

S. Augustin.  
lib. 22. contr.  
Faustum c. 75.  
Num. 25. 17.  
1. Reg. 15. 2.

Gen. 14. 19.

Matth. 2. 9.

S. Augustin.  
lib. 22. contr.  
Faust. c. 74.

Act. 10. 1.

Hebr. 11. 34.

2 Tim. 2. 3.

VIII.  
Luc. 3. 14.

¶ ¶ ¶

Ex